QVÆSTIO MEDICA

QVODLIBETARIIS EXCVTIENDA DISPVTATIONIBVS, IN SCHOLIS MEDICORVM, DIE IOVIS XIX. FEBRVARII,

D. GERMANO CLERSELIER DOCTORE MEDICO, MODERATORE PRVDENTISSIMO.

An ſeminis excretio naturæ ſolius opus?

FACVLTATES quæ naturæ ſunt vel animæ, humani corporis moderatrices; ſedibus inſtrumentíſque diſtinguuntur inter ſe. Naturalis infimam adepta vitæ conditionem, in iecore ſedet; cuius carne, primo hæmathoſeos organo vſa, acceptum à ventriculo per venas meſenterij ſuccum alibilem dotibus ornat ſanguinis; in totum corporis habitum per venarum ſanguificationis munere pollentium, propagines refundendi: atque ipſum in cor, vitæ originem, à quâ vti per arterias in omnes artus decurrunt ſpiritus ad recreandam fugacem animantis viuacitatem, ita & in cerebrum, animæ arcem; quò vbi deuenerint, præſtantioris futura poteſtatis organa, in animales faceſſunt; quibus vti vectoribus in ſubiectas partes motus & ſenſus, vniuerſa vis animalis functio, per neruos allabitur.

FINITVR omnis in nobis actio, hoc ternario facultum numero. Motus itque ſenſus, animali: ira & pulſus, vitali: naturali, nutritio auctio procreatio: item & attractio, retentio, coctio, expulſio; quæ nutritionis ancillulæ, partibus præſto ſunt publico munere fungentibus, fibrarum inſtructę triplici genere. Motus voluntarius, duriorem eſt à cerebello neruorum ſobolem adeptus: molliorem ab anterioribus cerebri, ſenſus. Is verò externus, velut ſatelles interioris: cuius vis multiplex vniuerſum obſidens cerebri corpus, diuerſis diuerſam ſeſe præbet eius partibus intuendam. Ira, furor breuis accenſus in corde, pulſum quiete interpollatum, ac ſub arteriarum tunicas labentem ſæpiùs interpellat. Nutritio, fit aſſimilando: accretio, diſtendendo: procreatio, conformando: cui præit facta in materiâ ſemine, alteratio: vt accretioni, ſequacitas alimenti: aſſimilationi appoſitio & agglutinatio; quæ ſunt mutationum alimento inſidentium, nomina.

PROCREATIONIS plena materia genitura eſt; rudis veluti à ſemine vtriuſque parentis profecta moles. Hoc, vegetans ſentiénſque in ſeſe occultans primordium, ab animantis *omni* humido promanauit, tertiæ coctionis excrementum: id quidem trahentibus teſtibus, per vaſa ſeminaria exceptum, iidem teſtes ius & imperium hominis in corpus qui habent, qui corde præſtant, qui alia ſunt caloris ſcaturigo, fœcũdant, ſpirituum triplici formâ prægnans atque differtum. Fœcunditatem hanc, vltimum ſeminis actum ac velut ſpeciẽ, ſua quoque anteceſſit præparatio, quam ſubibat idem non mediocrem in venis & arteriis ſtabulans; morámque in earum ſinuoſis anfractibus moratum; dum natura ſpeciei conſeruandæ gratia, ſingularis hominis ortum procurabit.

GENITOR, qui in ſpumoſo eſt corpore ſpiritus, primùm virtute in vtero ingenerata exſuſcitatus, mirabiles de ſuo ſinu profert vires; quas in triplici illâ medicis vulgata ſimilitudine, conformando inurenda fœtui explicat. Neque enim fruſtra creditum eſt, ad formandas corporis & animi ſimilitudines valere vim & naturam ſeminis. Nam, quæ materiæ ſubiectæ viribus ſimilem in ſpecie producit fœtum; maternos tamen vt-plurimùm referentem vultus, propter menſtruũ quo aluit genitrix embryum: quanquam iſtam ſimilis ſexus effigiem, qualitatum in geniturâ vincentiũ victoriæ, malim acceptam referre. Perſonæ verò & indiuiduĩ ſimilitudo, cauſam robur cõformantis agnoſcit: quod quidem ex tantulâ materiâ ad ſenſum vniformi, reipsâ difformi, ſtructuram corporis condit.

DISSEMINAVIT natura voluptatis ſummæ igniculos in partes generationi dicatas, exquiſitiſſimum ideò ſenſum nactas, ſine cuius immutatione plurimâ cùm nuſquam fiat voluptas, non poteſt ipſa non referri ad animalem virtutem, nam cuius actio altera ſenſus ſit. Ipſa autem ſeminis ſubſtantia, in excrementorũ numerum admiſſa, naturæ quidem implorat opem, ſi quando ipſi grauis & oneroſa, vim titillando expultricem affectat exitum: quem tum efficit non iniuſſum, eo quem natura viarum ductu deſtinauit. Seminis illa excretio quanquam naturæ actio, alterius principij dico animalis functionem ſibi annexam habet: cuius efficientiam neceſſariò cùm expoſtulet; non ſimplex, ſed ex alio conflata genere actio cenſebitur.

Ergò ſeminis excretio naturæ ſolius non eſt opus.

PROPONEBAT STEPHANVS GORION PARISINVS 1599.

Domini Doctores Diſputaturi.

M. Simon Baſin.	*M. Petrus Paulmier.*	*M. Ioannes Riolant.*
M. Nicolaus Pietre.	*M. Petrus Pouſon Med. Reg.*	*M. Ioannes Haultin.*
M. Martinus Akakia.	*M. Anthonius Quiquebœuf.*	*M. Sulpicius Rigault.*